

3342

1723,16^a M
18.

DISSE^TAT^O JVRIDICA SOLENNIS
^{DE}
FONTIBVS JVRIS
ROMANI EORVMQVE
VSV HODIERNO

^{QVAM}
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO

GVILIELMO HENRICO

DUCE SAXONIÆ, JULIACI, CLIVIÆ, MONTIVM, ANGA-
RIÆ, WESTPHALIÆ ET RELIQVA

*Ex Decreto Illustris Facultatis Juridicæ
IN ACADEMIA JENENSI*

P R Ä S I D E
VIRO ILLVSTRI ATQVE EXCELLENTISSIMO
DOMINO

CHRISTIAN. WILDVOGELIO,

JCTO CONSUMMATISSIMO, SERENISSIMO DVCI-ISENACensi
A CONSILIIS INTIMIS, CVRIÆ, PROVINCIALIS ASSESSORE,
COLLEGIORVM JVRIDICORVM SENIORE, VT ET ANTECES-

SORE IN ACADEMIA JENENSI GRAVISSIMO,
PATRONO OMNI PIETATIS CVLTV ÆTERNVM DEVENERANDO

Publicè Eruditorum disquisitioni submittit

D. XIX: JVNII M DCC XXIII.

AVTOR RESPONDENS

CAROLVS MICHAEL STRASBERG,
HAMBVRGENSIS.

JENÆ, TYPIS JOH. ADOLPHI MULLERI.



SAC. ROM. IMP.
LIBERAE REIPUBLICAE
HAMBVRGENSIS
SENATVI
SPLENDIDISSIMO
SACRVM!

*VIRI MAGNIFICI, GENEROSI,
NOBILISSIMI, AMPLISSIMI,
CONSULTISSIMI atque PRV.
DENTISSIMI,*

PATRONI MAGNI,



Ecepti moris est ut dis-
sertationem conscriptu-
ri eam Patronis suis in
grati devotique animi
tesseram dedicent. Ean-
dem

AS (o) S

dem consuetudinem ego secutus,
PATRES CONSCRIPTI, eo pro-
gredior audaciae, ut VESTRIS
SPLENDIDISSIMIS NOMINI-
BVS hasce leves pagellas sacras
esse jubeam. Avocasset me ab hoc
proposito dissertationis hujus tenui-
tas, nisi melius duxisset, per obla-
tionem primitiarum studiorum meo-
rum, quas uti spero, non eritis asper-
naturi, cum & Summo Numini pri-
mitias fructuum levidenses saltim
offerri fuisse solitas, nec ab eo con-
temptas, sacra pagina nos doceat,
qualemque saltim obsequii mei
erga VOS testationem facere, quam
omnem plane intermittere. Suscipe
foetum huncce Academicum, id
quod omni pietatis cultu a VOBIS

)(2 ob-



obsecro, serena fronte, patroci-
nioque VESTRO summo me in po-
sterum quoque habete quam com-
mendatissimum. Servet VOS DEVS
T.O.M. per nestoreos annos ab omni
morborum impetu sartos tectos
que, quo sub regimine VESTRO
floreat Patria dulcissima, fulgeant
splendidissimae VESTRÆ Familiae,
Patrocinio VESTRO fruantur Clien-
tes. Ita precatur, ita vovet
MAGNORVM NOMINVM
VESTRORVM

Scripsi Jenae d. 15. Junii
1723.

Cultor obsequentissimus

CAROLVS MICHAEL STRASBERG.



§. I.

Um mihi, Academiae valedictu-
ro, solennis quaedam disserta-
tio habenda esset, & de the-
mate cogitarem, quod nec in-
genii mei vires multum excede-
ret, nec tamen cathedra publica
& eruditorum examine, indignum esset; Institu-
tiones cum Pandectis perlustrare coepi. Substi-
ti haesique statim in ipsis fontibus & principiis,
quibus ius romanum, quo hodie, legibus patriis,
tum universalibus, tum particularibus deficienti-
bus, in subsidium & supplementum utimur, com-
positum est; eosque ex genuinis principiis, tum
philosophicis & politicis, tum historicis, restitu-
re, & ab ineptis interpretum commentis purga-
re, supremo Numine auxiliante, constitui.

A

§. II.

§. II.

Sed hic ante omnia mihi Juris significatio, quae varia, evolvenda est. Nam jus sumitur aliquando pro facultate morali, personæ competente, vi cuius aliquid juste agere, vel habere, potest, quam lingua vernacula **Befugniß/gerechtsame/Gerechtsamkeit** nominamus. Dividitur jus in hac significatione, in perfectum & imperfectum, de qua divisione agit Hug. Grot. *lib. I. de Jur. Bell. & P. c. 1. §. 4. seqq.* Et perfectum porro a juris civilis interpretibus, in jus in re & ad rem dispescitur, de quo utroque alibi. Hic illud tantum notasse sufficiat, non errare, qui jus in re unicum tantum & simplex faciunt, dominium scilicet, dummodo hoc in plenum & minus plenum partiamur, quandoquidem hoc omnes & singulæ juris in re species, quotquot effingas, non incommode referri possunt. Amplius jus quandoque accipitur pro lege, sive naturali, sive civili, & tandem pro complexu multarum legum, veluti cum jus romanum dicimus. Atque haec postrema notio ad praesens institutum meum pertinet. Alias juris homonymias ex Jcto Paulo tradit Justinianus in *I. II. ff. de Just. & jure.*

§. III.

§. III.

Fontes ipsos juris romani generatim indicat Justinianus, dum ait: *dicendum est igitur de jure privato, quod tripartitum est. Collectum est enim ex naturalibus praeceptis, aut gentium, aut civilibus, §. ult. Inst. de Just. & jure.* Quod itidem de jure publico quoque dici potest. Nam & hoc collectum est ex naturalibus praeceptis, aut gentium, quod utrumque Jus publicum universale appellatur, aut civilibus, vulgo jus publicum particolare dictum, & ad statum publicum, cuiusque Reipublicae proprium, accommodatum. Illustr. Coccejus. c. I. prud. juris publ. §. 3. seqq.

§. IV.

Jus naturale est, quod natura omnia animalia docuit, definitore Justiniano, pr. Inst. de jur. nat. gent. & civ. itemque Ulpiano JCto in l. I. §. 3. ff. de justit. & jure. Nam jus istud non humani generis proprium est, sed omnium animalium, quae in cœlo, quae in terra, quae in mari nascuntur, ut additur ibidem. Evidem haec definitio a multis impugnatur, ideo, quod ut rationis, ita juris naturalis quoque, bruta experientia sunt; verum salva res est. Neque enim Imperator de jure naturae proprie dicto loquitur, sed

potius jus naturale improprie & abusive sumptum innuit, instinctum naturalem nimirum, hominibus cum brutis communarem. Satis hoc indicant exempla ibi subjecta, de maris & feminae conjugatione, librorum procreatione & educatione, quibus interpres pleriq; defensionem sui jungere solent, reclamante Justiniano, qui eam ad jus gentium, seu jus naturale proprie dictum, refert, ut patet ex l. 3. collata cum l. 1. §. 4. & l. 2. ff. de iust. & jure nisi dicere velis, c. l. 3. respicere ad §. 3. d. l. 1. Saltim defensionem sui ad jus naturae improprie acceptum magis, quam proprie dictum referri, communis animalium omnium natura suadet. Quamvis vero instinctus naturalis hominibus cum brutis communis sit; tamen inter homines & bruta insignis intercedit differentia, quod haec instinctum naturalem sine ratione sequantur, illi vero cum honesti, justi & decori custodia agant, vel agere debeant, quae ab instinctu naturali proveniunt. vid. Hugo Grotius lib. 1. de J. B. & P. c. 2. §. 1. n. 1. 2. & 3.

§. V.

Jus Gentium est, quod naturalis ratio inter omnes homines constituit §. 1. Inst. de Jur. Nat. Gent. & civ. & l. 9. ff. de justit. & jure qua definitione ipsum jus naturale, hominum proprium, innui-

innuitur, Jus Gentium dictum, ideo, quod eo omnes gentes utantur, & obligentur. Paulo copiosius hoc Jus Gentium, seu naturale definit Hugo Grotius lib. 1. de Jure B. & P. c. 1. §. 10. n. 1. & 2. rectene, an minus, inter eruditos disputatur. Sunt enim qui definitionem ejus rejiciendam esse centent, ideo maxime, quod, philosophiam scholasticam lecitus, dixerit, actus, ad jus naturae pertinentes, per se debitos aut illicitos esse, atque ideo a DEO necessario praeceptos aut vetitos intelligi. Verum nihilominus definitionem Grotianam retinendi & defendendi posse, existimem. Nec est, quod objicias, DEVm esse ens liberrimum, nulli necessitatibus obnoxium, & actionum humanarum turpitudinem honestatemque a mero DEI arbitrio pendere. Nam apud plerosque in confessio est, legem naturalem, ex natura hominis rationali & sociali sequi. Ut ut ergo DEO liberum erat, qua natura hominem in prima creatione ornare vellet; tamen, posita praelente hominis indole, consequens est, ut actus lege naturali debiti aut vetiti, a DEO necessario praecepti aut prohibiti intelligentur, necessitate consequente & hypothetica, non antecedente & abscluta, spectata. Unde porro patet, quid sentiendum sit de eo, quod idem

A 3

Hugo

Hugo Grotius ait , legi naturali locum fore , etsi daremus , quod tamen sine summo scelere dari nequit , non esse DEV M , aut non curari ab eo negotia humana §. II. Proleg. de Jure B. & P. scilicet falsum hoc est , si legem naturalem jus proprium & voluntarium esse dicas , cum jus ejusmodi , remoto superiore , nec existere nec fingi queat ; verum autem , si jus naturale consilium esse statuas , cum Illustri Thom. in fundam. Juris natur. & Gent. c. 4. & 5.

§. VI.

Quanquam autem verissimum sit , quod Justinianus dicit , jura naturalia , quae apud omnes gentes peraeque observantur , semper firma atque immutabilia permanere , §. II. Inst. de Jur. Natur. Gent. & civil. tamen quod addit , hoc inde esse , quod ea jura divina quadam providentia constituta sunt , mihi parum videtur quadrare . Nam & Jus Hebraeorum particulare , forense puta & ceremoniale , divina quadam ptovidentia constitutum est , quod tamen cum Republica & Ecclesia Judaica extinctum esse , omnes fatentur . Verior itaque & magis adaequata viderur ratio , quare jus naturale immutable sit , quod a natura hominis rationali & sociali , quae perpetua est , ducitur , & cum

§§ (7) §§

& cum ea nexus inseparabili conjunctum est. Vid.
Hugo Grotius lib. I. de Jur. B. & P. c. 1. §. 10. n. 5.
Nec opprobrium meretur, qui meliora edocet
haec tenus a Justiniani doctrina secessionem facit,
quandoquidem Tit. 1. & 2. Inst. Justinianus non
legislatorem, sed philosophum potius & histori-
cum agit.

§. VII.

Sed quid est, quod Justinianus dicit: *Jus autem Gentium omni humano generi commune est.*
Nam, usū exigente, & humanis necessitatibus, gentes humana jura quaedam sibi constituerunt? §. 2.
sub fin. Inst. de Jur. Natur. Gent. & civ. Putet enim aliquis, Imperatorem sibi contrarium esse,
dum hic afferit, *Jus Gentium humanum esse*, supra
autem ait, *Jus Gentium a ratione naturali origi-*
nem ducere, §. 1. *ibid.* Adhaec, a vero aberrare
videtur, quod dicitur, *gentes humana jura quae-*
dam sibi constituisse. Ubi enim, aut quando,
gentes, *juris condendi causa, convenerunt*: quin
etiam si hoc certum esset, tamen, quod pluribus
gentibus ita placuisse, non juris, sed pacti tantum,
vigorem haberet. Nam *jus propriæ stricteque ac-*
ceptum, imperium & subjectionem requirit. At
qui gentes inter se aequales sunt. Respondeo, *jus*
Gen-

Gentium pro ipso jure naturali, hominum proprio, nec cum brutis communi, accipi, d. §. 1. pro monribus Gentium autem ponit cit. §. 2. sub finem, prout exempla ibi subjuncta satis abundeque ostendunt. Nam apud plures gentes bella, captivitates & servitutes receptae sunt, & plures quoque Gentes contractibus ibi nominatis utuntur. addatur l. 4. & 5. ff. de Justit. & Jure. Caeterum significatio prior magis propria est, posterior contra impropria. Etsi enim convenientia morum in Republica legem imitetur, & inter cives vim juris scripti habeat, ex voluntate & permissione superioris videlicet, §. 9. Just. de Jur. Nat. Gent. & civ. tamen inter Gentes plures, ob imperii & subjectionis defectum, juris efficaciam inducere nequit. Hinc evanescit tum vulgaris distinctio inter Jus naturae & Gentium primum & secundarium, tum jus Gentium voluntarium, quale effinxit Hugo Grotius lib. I. de J. B. & P. c. 1. §. 14. & alibi pasim. vid. B. Pragmanni Praeceptoris olim mei etiam post fata venerandi jurisprud. natural. Exercit. 2. §. 46. & n. X. & alibi,

§. VIII.

Jus civile est, quod quisque populus ipse sibi constituit §. I. Just. de Jur. Nat. Gent. & civil. & l. 9. ff.

9. ff. de *Justit.* & *jure* quibus verbis triplex differ-
entia inter jus civile & naturale seu Gentium in-
dicatur. Illud enim particulare est, hoc universale,
seu commune, ut dicitur in l. 6. ff. de *justit.* & *ju-
re*; illud multiplex & varium, pro Rerumpubli-
carum & populorum diversitate, hoc unicum est,
illud autorem habet hominem scilicet populum
in democratia, optimates in Aristocratia, & Re-
gem in Monarchia, hoc DEVM. Plures juris ci-
vilis & naturalis differentias tradit Illustris Boeh-
mer. in annotat. ad *Instit. d. t.* & §. lit. s. Porro
modus quo jus civile efficitur, significatur d. l. 6.
ff. de *justit.* & *jure* verbis: *cum aliquid addimus*,
vel detrahimus juri communi, (naturali) jus pro-
prium i. e. civile efficimus. Est enim unicuique
Reipublicae sua propria ratio & status. Unde
pro diversitate ejus juri naturali aliquid addi vel
detrahi necesse est. Neque enim jus naturae, lo-
cum, tempus, personas, modum, quantitatem,
formam, solennitates & definit, sed horum omnium
determinationem arbitrio cuiusque populi relin-
quit. Deinde enim negotia, resque civium pro
Rerumpublicarum varietate varia sunt, & jus pro-
prium seu civile desiderant. Adhaec populi cu-
jusque proprius genius est, ad quem jus civile ac-

B

com-

commodari debet. Denique multa sunt jure na-
turali permissa, quae jure civili vetari vel praecipi,
Reipublicae status & ratio suadet.

§. IX.

De primo modo, quo juri naturali per jus
civile aliquid additur, plura dicere merito super-
fedeo, cum de eo nemo facile dubitarit. Secun-
dus, quo juri naturali per jus civile aliquid detra-
hitur magis videtur dubius. Rationem dubitan-
di suppeditat, quod dictum supra §. 6, Jus natu-
rale immutabile esse. Sed nihilominus detrahen-
di facultas legislatori humano asseritur *in cit. l. 6.*
ff. de Jusit. & jure. Et juri naturali subinde ali-
quid per legem civilem ob singularem utilitatem
civitum, reapse detraictum esse, vel sola pacta nuda,
item restitutio in integrum praetoria ob minor-
rennitatem, nec non SCta, Vellejanum & Mace-
donianum, aliaque sexcentia, satis abundeque
edocent. Nec difficilis est ad rationem dubitan-
di, supra allatam responsio. Neque enim Jus ci-
vile ex pacto nudo actionem denegando, aut
minoribus aetatis imprudentia laesis, restitutio-
nem in integrum indulgendo, aut filiis familias,
mutuam pecuniam accipientibus, aut mulieribus
fidejubentibus subveniendo, jus naturale, pacto-

rum

35 (ii) 50

rum sanctimoniam praecipiens, mutat, sed tam
tum jus, alteri ex conventione ejusmodi quaesi-
tum, ob singularem aliquam utilitatem aufert vi
imperii & dominii eminentis scilicet, quod in qua-
libet Republica summae potestati civili ad bo-
num commune competere, docet Hugo Grotius
de J. B. & P. lib. 1. c. 1. §. 6. & c. 3. §. 6. n. 2. it. lib. 2.
c. 13. §. 20. n. 3. & c. 14. §. 7. nec non l. 3. c. 19. §. 7.
c. 20. §. 7. & 52. item Johann. Fridericus Hornius
de civitate lib. 2. c. 4. aliique;

§. X.

Dicitur Jus civile cuiusque Civitatis esse pro-
prium, supra §. 8. Ratio est quod cuique civitati
genius, statusque, cui jus civile attemperatur, vel
saltim attemperari debet, proprius est. Unde 1)
manifestum fit, Romanos in regulas prudentiae
legislatoriae impegnisse quod, ejectis Regibus, &
abrogatis plerisque eorum legibus, jura civilia a
Graecis petierunt, post hac XII. Tabulis compre-
hensa, l. 2. §. 4. ff. de orig. Jur. nec minus a ju-
ris civilis indole aberasse maiores nostros, ante ali-
quot secula jus romanum civile, a status germani-
cni ratione subinde deflectens recipiendo 2) er-
rare, qui jus romanum indiscriminatim & ubi-
que in foris Germanorum receptum esse autu-

mant, nulla legum patriarcharum, statusque Germanorum proprii, & a Romano hinc inde discrepantis, ratione habita. Quamvis enim negari nequeat, jus romanum, ut commune & generale, ante aliquot secula in Germaniam in vectum esse; tamen jurisprudentiae legislatoriaē consentaneum est, hanc receptionem factam in subsidium & supplementum tantum, qua scilicet leges patriae ad statum Germanorum proprium accommodatae, deficiunt, & jus peregrinum in foris patriae applicari aptum est. Ubi ergo est eadem status Romani & patrii ratio, ibi eadem est juris dispositio; ubi vero cessat juris romani ratio, ibi quoque dispositio ejus in Germania irrita haberi debet, quod tamen non eo pertinere volo, ut iis asserentiri videar, qui jus romanum in foris Germanorum non ultra valere contendunt, nisi quatenus peculiari constitutione, aut consuetudine, aut rejudicata, receptum probari potest. Certum enim exploratumque est, receptionem juris romani in foris nostris generatim factam esse adeo, ut legem ejus aliquam pro causa sua allegans, fundatam, quod ajunt, intentionem habeat; quoad lex patria, sive universalis, sive particularis, & diversa status romani & germanici ratio non ostenditur,

quod

55 (13) 56

quod nisi admittamus, summam juris incertitudinem oriri, quilibet facile intelligit. vid. Schilter.
Exercit. ad D. i. additam. ad §. 12.

§. XI.

Porro etiam 3) a vero aberrare videntur, qui Proceres Germaniae legibus civilibus solutos esse, & solo jure Gentium regi, ajunt. Primo enim certum est & demonstratum supra §. 8. jus naturale regimini civitatis non sufficere, sed praeterea legibus civilibus & propriis statui cuiusque Reipublicae attemperatis, opus esse. Deinde a cordatioribus Juris publici Doctoribus pridem evictum est, Germaniam esse unam Rempublicam ejusque Proceres, feuda regni possidentes, nexus beneficiario non tantum, verum subjectionis stricte sumptae etiam teneri. Vid. Ulricus Obrecht. *in dissertat. de unitate Reipublicae S. Rom. Imp. L. B. de Lyncker in analiectis ad Struvii Syntagm. juris feudal. c. 11. aphor. 2. it. c. 14. aphor. 29. n. 5.* Schilter. *in commentat. ad c. 4. juris feudalis Alem. §. 10.* Et in notis ad Struvii Syntagm. juris feud. c. 3. aphor. 6. Itter. *de Feudis Imp. c. 9. §. 43. seqq.* Mylerus de Principib. Et Statib. Imp. P. 3. c. 93. Porro certum est Proceres summis regni Judiciis obnoxios esse, quae posthabito

B 3

civi-

civium majorum & minorum ; mediatorum &
& immediatorum , discriminē causas controversias
ad normam juris civilis & canonici , salvis mori-
bus , & legibus domesticis , exigere jubentur . R. I.
de anno 1654 . §. 205. Et ordinat . Imperial . aulica
Ferdinandi III. Imperatoris Augusti Tit. 7. §. 17.
quod indiscriminatim locum habere persuasus
sum , sive proceribus cum familia & subditis , sive
cum extraneis negotium sit , quamvis dissentiat .
Illustris Henr. de Cocceji c. 29. prud. juris publ.
§. 2. 3. 4. Et 5. ideo ab alias jam notatus , uti ab
Excell. Dn. Langgut. in animadversionibus suis ad
dictum caput .

§. XII.

Ex eo , quod dictum supra §. 8. jus civile cu-
jusque civitatis proprium esse , sequitur , ut eo tan-
tum cives ejusdem Reipublicae obligentur , non
etiam peregrini , nisi ad tempus apud nos commo-
rentur ; tum enim eos , ut cives temporarios , juri
civili subdi , ordo & decor publicus postulat , mo-
nente Hugone Grotio lib. 2. de Jure B. Et P. c. 2.
§. 5. Et c. 11. §. 5. n. 2. sub finem . Nec peregrinos
eiusmodi juris civilis ignorantia excusari autumo .
Debent enim & possunt peritos juris consulere ,
quoties negotium aliquod cum civibus nostris con-
trahunt ,

trahunt, aut alium quendam actum suscipiunt, quod ubi omittunt, omnino est, quod suae negligentiae imputent. Dissentire, videtur Illustr. Thomas. in *notis ad ff. Tit. de jur. & fact. Ignorantia.* Quemadmodum vero peregrini a juris civilis obligatione immunes sunt, ita ejusdem quoque expertes haberi debent, cum de acquisitione & aliis commodis juris civilis quaeritur. Equidem peregrini in orbe romano qui sunt, & antehac juris civilis romani communione caruerint, ex Constitutione Imperatoris Antonini vero cives romani effecti sunt, l. 17. ff. de *statu hom.* ideoque etiam peregrini juris civilis romani participes esse videntur; verum quis non videt, d. l. de iis duntaxat peregrinis sermonem esse, qui imperio romano subditi sunt, quales ante Imperatorem Antoninum plurimos fuisse historiae romanae Autores passim testantur. Non ergo extendendum id ad alios peregrinos, qui extra imperium romanum degunt, & alii Reipublicae subiecti sunt.

§. XIII.

Caeterum in Germania jus civitatis varie dividitur. Est enim vel universale, vel particulare, hocque porro vel provinciale, vel municipale. Illo gaudent omnes regni cives, sive mediati, sive imme-

immediati, sive eminentes, sive inferioris conditionis, isto fruuntur tantum cives eiusdem provinciae, ut Saxones, Suevi, Franci &c. hoc potiuntur eiusdem municipii membra, quo eodem modo quoque peregrinitas, alias albinagium dicta, dispesci potest, ut alia sit, universalis, alia particularis haecque porro vel provincialis, vel municipalis. Ita peregrinitatis universalis ratione habita Germanis peregrini sunt Batavi, Galli, Helvetii, Hispani, Poloni, Dani &c. & contra. Porro peregrinitate provinciali spectata Saxonibus peregrini habentur Franci, Suevi, Bavari &c. & contra. Denique respectu peregrinitatis municipalis civibus Jenensibus peregrini sunt omnes, qui jure civitatis Jenensis carent, die keine Jenaische Bürger sind/ ubicunque etiam degant, & sive eundem dominum provinciae sive diversum suspiciant, & venerentur. add. Schilter. *in dissertatione de jure peregrinorum.*

§. XIV.

Ad jus civitatis universalis refero successio-
nem, tum testamentariam tum legitimam, cum
Illustri Thomasio l. 2. fundam. *jus nat.* § Gent.
c. 10. §. 11. & 15. seqq. item in notis ad Institut. Tit.
de Testam. Ordin. Unde facilis est decisio quae-
stionis

stionis de jure albinagii, quo Galli peregrinos ab acquisitione haereditaria arcent, scilicet id jure naturali permisum esse. Nec est quod quis authenticam. *Omnes peregrini C. communia de successionibus*, objiciat, cum haec ab Gallis nunquam recepta sit. Et quanquam eandem apud Germanos in usu esse testentur DD, est tamen quod hi suae socordiae, & nimio in peregrinos studio, acceptum ferunt, quod posthabita dicta authentica, albinagium iusto talionis jure Gallis non rependunt. Idem de caeteris juris civilis inventis, ut tutela, patria potestate romana, literarum obligatione, stipulatione, usucapione, commerciis, &c. judicium esto, quicquid aliquando dissentiat Schilter. d. l. Porro ad jus civile provinciale pertinet successio rerum expeditoriarum, Geradae, utensilium, fratris, exclusis alterius fratri praemortui liberis &c. Saxonum propria. Unde Suevi, Franci aliquique jure civitatis Saxonicae carentes, & in terris juris Saxonici haereditatem cernentes, a dicta successione non immerito excluduntur, quemadmodum nec ad jura & commoda, quae alicujus municipii propria sunt, adspicere possunt, nisi qui ejus municipii membra sunt.

'Amplius jus est vel scriptum, vel non scriptum'. Illud est, quod a legislatore in scriptis promulgatur. Ad hujus itaque essentiam duo necessaria sunt, scilicet voluntas legislatoris, sive expressa, sive tacita, & scripta ejusdem promulgatio. Neque enim sola legislatoris voluntas jus scriptum efficit, sed insuper scriptura accedit necesse est. Unde cum aliis errare videtur Hoppius, jus voce praeconis, vel ipsius legislatoris, promulgatum ad scriptum referens in *Comment. ad §. 3. Instit. de Jur. Nat. Gent. & civ.* Neque etiam sola scriptura sufficit, ut jus aliquod scriptum dici possit; sed praeterea voluntas legislatoris requiritur. Quare jus provinciale itemque feudale, tum Saxonicum, tum Suevicum, utsipote privata autoritate sine approbatione & promulgatione eorum, qui in terris dicti juris utriusque potestate legislatoria gaudent literis exaratum, vulgo ad jus non scriptum refertur. Quia eadem de causa etiam jus fendale Longobardicum non scriptum audit, quod ego quidem ultro largior, regni longobardici ratione habita; sed quantum ad Germaniam, non desunt rationes, quae id ad scriptum potius, quam non scriptum referri suadent, quarum potissima haec est,

56 (19) 56

est, quod jus illud a Germanis legislatoribus, non
qua moribus valet, sed qua scriptura constat, re-
ceptum est. Nec objici potest jus feudale Longo-
bardicum principio non expresso, sed tacito Ger-
manorum consensu inductum esse, ideoque ad jus
non scriptum referri debere ob l. 32. ff. de legib.
ubi jus tacito populi consensu introductum non
scriptum dicitur. Praeterquam enim quod taciti
& expressi consensus par vis est; d.l. non de con-
suetudine alicuius populi in scripturam redacta, &
ab alio populo, qua scripta, recepta, de qua hic
termo est, sed de moribus populi alicuius propriis,
& scriptura destitutis, loquitur. Multo magis
itaque jus scriptum dici potest mos populi diutinu-
rus, postea expressa legislatoris sanctione in scriptis
promulgatus. Quamobrem ab Illustr. Henr. de
Cocceji merito notatur Schützius, auream Bullam,
Recessus imperii, capitulationes, (verbis hisce &
aliis similibus, hic & alibi propter usum necessi-
tatemque venia esto) & tabulas pacis juri non
scripto accensens, ideo tantum quod jam memo-
ratae Germanorum leges, magnam partem jus
antiquum non scriptum referant, in prud. juris
publ. c. 1. §. 3.

Caeterum de jure scripto quaeritur, an eius
observantiam probare teneatur actor, qui eam li-
bello suo comprehendere? Affirmat cum Carpzo-
vio Schilter. *Exercit. ad ff. 1. §. 10.* negat Illustr.
de Berger. *I. 1. Oeconom. Jur. Tit. I. §. 17. n. 5.* cu-
jus sententia, verior videtur. Certum enim est ob-
servantiam legis scriptae semper praesumi, nisi
ea postea abrogata esse ab afferente probetur,
quia mutatio facti res, quam qui advocat, pro-
bandi oneri obnoxium se facit. Nec magis du-
bium est, actorem a probationis in commodo li-
berari, quoties pro eo juris praesumptio militat.
Nec pro Schilteri sententia quicquam facit, ut qui-
dem ille putat, quod qui actione negotioria pro
praedii sui libertate uitetur, & vitium possessionis,
quam adversarius jactat, libello suo comprehen-
dit, id probare teneatur. Quis enima non videt,
diversissimam esse conditionem eius, qui in ob-
servantia legis scriptae & promulgatae se fundat,
& eius qui adversarii possessionem vitiosam esse
ait, quandoquidem ille praeumptione juris suf-
fulcitur, hic vero ea destituitur.

Ad jus non scriptum quod attinet, id uni-
cum

cum & simplex esse vulgo statuitur. Sed perpe-
ram, mea quidem sententia, cum jus non scriptum
genus sit, tres species diversas complectens, qua-
rum prima est jus naturale seu Gentium, utpote
sine scriptura per dictamen rectae rationis ex na-
tura hominis rationali & sociali innotescens. Nec
obstat quod dicitur, opus legis, seu jus morale,
cordibus hominum inscriptum esse, *Epist. ad Rom. 2.*
v. 15. dum quilibet facile intelligit, his verbis non
jus scriptum proprie dictum, quod literis & arti-
ficio humano exprimitur significari, sed potius id
quod menti humanae a DEO inditum & conna-
tum est, & ex natura hominis rationali & sociali,
praelucente intellectu cognoscitur, innui. Et quam-
quam subinde lex naturalis jure civili scripto po-
pulorum comprehenditur, eo scilicet, ut illa civi-
bus in Republica faciliter in memoriam revocetur,
& observatio eius poenis civilibus muniatur, non
ideo tamen jus naturale, lege civili scripta repeti-
tum, pro scripto haberri potest, cum nihilominus
tum causa efficiente, tum materia & fine, itemque
promulgandi modo a jure civili scripto distin-
ctum maneat, & scriptura tantum, ut qualitas
accidentalis eidem accedat. Secunda species juris
non scripti est jus civile, voce praeconis, vel ipsius
legis.

legislatoris , civibus in Republica promulgatum ;
 quod qui ad jus scriptum referunt , ne sibi ipsi con-
 tradicant , vereor , cum jus scriptum , ex ipsa ver-
 borum significatione dici nequeat , nisi quod a le-
 gislatore in scriptis publicatur . Denique tertia
 species juris non scripti est consuetudo , utpote
 sine promulgatione scripta legislatoris civilis tan-
 tum ex pluribus actibus convenientibus civium
 in Republica oriens . Atque haec tertia species
 innuitur , cum jus civile in scriptum & non
 scriptum dividitur § . 3. Inst. de Jur. nat. Gent. &
Civ. id quod luculenter indicat Justinianus Imper-
 tor , dum jus non scriptum usum & mores diu-
 turnos populi esse dicit § . 9. eod. Tit. Conf. Illustr.
 Thomas. in notis ad Inst. Tit. de jur. nat. Gent.
 & civ. p. 8.

§. XVIII.

Sed quod idem Imperator dicit , divisionem
 juris in scriptum & non scriptum seu consuetudi-
 nem , ab institutis duarum civitatum , Athenarum
 scilicet & Lacedaemonis apud Quirites ortam esse ,
 cum Lacedaemonii quidem magis ea , quae pro
 legibus observabant , memoriae mandaverint ,
 Athenienses autem ea quae in legibus scripta com-
 prehendissent , custodierint § . 10. Inst. de Jur. nat.
 Gent.

Gent. & Civ. merito reprehendit Arnoldus Vinius in *Commentario ibid.* Evidem negari nequit, Quirites, exactis Regibus & abrogato regio jure, jus suum XII. Tabb. comprehensum, a Graecis civitatibus, Athenis & Lacedaemonie imprimis, missis eo viris prudentibus, petuisse l. 2. §. 4. ff. de orig. Jur. Verum jus Romanorum scriptum a legibus Atheniensium scriptis, non scriptum autem, a jure Lacedaemoniorum, originem traxisse, non sine ratione in dubium vocatur. Nam valde probabile est, Athenienses praeter jus scriptum exemplo aliorum populorum etiam jure non scripto, seu moribus, usos esse, neque etiam expeditum est, viros illos prudentes, per quos Romani jus a græcis civitatibus arcessiverunt, ex institutis Atheniensium nil nisi quod scriptum, post habitis omnino moribus eorum, collegisse. Et quamvis Lacedaemonii nulla lege scripta usi essent, sed magis ea, quae pro legibus observarent, memoriae mandassent, eadem tamen a jure non scripto Romanorum miris modis differre manifestum est. Ipse enim Justinianus Imperator jus romanum non scriptum de moribus populi romani accipi vult, d. §. 9. At vero jus Lacedaemoniorum omne pro nuda consuetudine & usu

popu-

populi haberi nequit; sed magis ad ius non scriptum secundae speciei, qua scilicet ius voce praeconis, vel ipsius legislatoris publicatum denoto, referri debet, cum expressa constiterit Lycurgi, qui Lacedaemonii seu Spartanis, leges dedit, sanctione, referente Justino lib. 3. hist. c. 2. & 3. Quin etiam si ponamus, ius Lacedaemoniorum nulla sanctione expressa, sed consuetudine & moribus tantum constitisse, veluti de maioribus nostris testatur Tacitus de moribus German. c. 19. nihilomagis tamen ius non scriptum Romanorum ei acceptum ferri potest, postquam ius Spartanorum, Romanum delatum in XII. Tabb. relatum, & publica Decemvirorum autoritate Quiritibus promulgatum est. Neque enim negari potest mores in ius scriptum degenerare, quam primum scriptura comprehenduntur, & ita civibus observatio eorum publica autoritate praecipitur. Sequitur ergo, iuris romani non scripti so-los Quirites autores esse, neque hos id a civitatibus exteris accepisse.

§. XIX.

Ut vero consuetudo ex imitatione civium oritur, ita eius essentia unice frequentia actuum absolvitur, quam si prober, qui consuetudinem alle-

allegat, officio suo satisfecisse existimandus est,
 iure civili saltim. Supervacua ergo est scientia
 & tacitus consensus Principis, quem DD. vulgo
 consuetudini introducenda necessarium esse pu-
 tant, quibus aperte reclamat Pontifex, inquiens;
 se probabiliter locorum specialium & personarum
 singularium consuetudines ignorare, quas tamen
 nihilominus valere vult idem, c. 1. de constitut. in
6to. Impossibile enim est, quoslibet civium mo-
 res venire in notitiam Imperantis, eius praesertim,
 qui magna amplaque ditione gaudet. Admissa
 ergo vulgari sententia, plurimas consuetudines
 exinaniri necesse est, id quod prudentiae civilis
 regulis repugnat. Nam mores subinde genio po-
 puli magis accommodati sunt; quam leges scriptæ,
 & cives facilius consuetudine, a se inducta, quam
 jure scripto, reguntur. Unde mores populi con-
 venientes vice legis custodiri ratio prudentiae ci-
 vilis suadet. Et quod Princeps non prohibuit,
 omni iure populo permisum esse merito censem-
 tur. Nunc vero nusquam populo interdictum
 est, sed e contrario expresse permisum, vice legis
 scriptæ, qua haec deficit, moribus uti. Nec est,
 quod obiciias, consuetudinem esse legem, nullam
 autem legem sine scientia & consensu eius, qui

D

poter-

potestate legislatoria in Republica gaudet, statui posse. Ut enim consuetudo vim legis habeat, generalis consensus Principis sufficit, neque specialis ejus approbatio consuetudinum singularium requiritur. Nec obstat *I. 32. ff. de legib. utpote statum popularem respiciens*, ubi idem est autor legis scriptae & non scriptae, notante Illustr. Boehmero, *in not. ad Inst. de Jure nat. Gent. & civil. §. 9. lit. r.* Consentit L. B. de Lyncker, qui itidem consuetudinem ignorantie Principe geharari posse statuit in *Analectis ad Descliei Erotem. Juris Canon. lib. 1. Tit. 4. quæst. 6. sub fin.*

§. XX.

Amplius etiam, qui se in consuetudine fundat, probatione rationabilitatis seu convenientiae cum ratione, qua consuetudinem, secundum vulgarem DD. sententiam, praeditam esse oportet, tuto supersedere posse existimem. Praeterquam enim quod haec qualitas consuetudini non propria est, sed ei cum lege scripta communis, nec facile vel lex scripta, vel consuetudo datur, qua cum recta ratione pugnet; insuper tamdiu consuetudo rationi consentanea habenda est, quoad eam rationi repugnare non apparet, docente Illustr. de Berger, *I. 1. Oeconom. juris Tit. 1. §. 19. item Schil-*

Schilter. *Exercitat. ad ff. 2. §. 19. sub fin.* Neque etiam ut consuetudo valeat requiritur ut judicio, quod ajunt contradictorio, firmata sit, sed solum usum populi diuturnum & conformem sufficere puto. Evidem vulgo obiicitur l. 34. ff. de legib. sed respondeo, ibi non praeceptum continei, sed cautelam, quae faciliorem probationem, minime vero valorem consuetudinis respicit. Et quamquam porro consuetudo sine aliquo temporis tractu induci nequeat; hic tamen jam ipsi frequentiae actuum inest, ut proinde consuetudinem probaturus de eo frustra sollicitus sit. Haec ita de jure civili, quo sola actuum conformitas consuetudini fundandae sufficit. Nam jus **Canonicum** quod attinet, ad consuetudinem, praeter actuum iterationem, etiam præscriptionem requiri ob c. ult. X. de consuetud. & c. s. X. de elect. & elect. potest. eiusque sanctione auream Bullam Tit. 8. & 9. nisi, docet Schilter, *Exercit. ad ff. 2. §. 19.* & in notis ad Inst. de jure nat. Gent. & civil. §. 9. cum quo easdem tibias inflat Dessel. in Erot. juris canon. lib. 1. Tit. 4. quaeſt. 6. n. 2. Atque idem in foro Saxonico obtinere, testatur Illustr. de Berger, lib. 1. Oeconom. jur. Tit. 1. §. 19. Ad tempus, præscriptioni consuetudinis necessarium, quod attinet, in Saxonia

nia indiscriminatim 31. annos, 6. septimanas & tres dies requirit idem de Berger. c. l. quantum ad forum committit autem juris canonici interpretes distinguunt, utrum consuetudo sit contra jus commune ecclesiasticum, an vero praeter id, voluntque in posteriori specie 10. annos sufficere, in priori autem quadraginta annos necessarios esse, inter quos est Dessel. *in Erot. jur. canon. d. quaest. 6. n. 2.* Sed hanc distinctionem summo jure reiicit L. B. de Lyncker *in Anal. ibid.* Caeterum plura de consuetudine adversus vulgares errores docet Illustr. Thomasius *in disputat. de jure consuetud. & observ. & in notis ad ff. Tit. de legib.* ubi hoc etiam monet, legem non tantum per usum posteriorem contrarium, verum etiam per non usum tolli.

S. XXI.

Redeo, ad jus scriptum, quod vel civile est, vel praetorium, quo aedilitium edictum quoque continetur, §. 7. *Inst. de jure nat. Gent. & civ.* Porro partes ex quibus jus civile romanum compositum est, sunt quinque, lex nempe, plebiscitum, senatus consultum, constitutio Principis & responsa prudentum. Lex sumitur vel late pro iussu generali tum regio, tum aristocratico, vel populari, vel stricte, pro iussu generali populi romani, divisi

per

§ (29) §

per tres ordines quorum primus est, Senatorum,
secundus Equitum, tertius plebis. In qua poste-
riori significatione lex est quam populus romanus,
senatorio magistratu interrogante, veluti Consule,
constituebat, definitore Justiniano Imperatore §. 4.
Inst. de jur. nat. Gent. & civ. quam descriptionem
statum Romanorum popularem, inter Reges &
Imperatores medium, & ab Hugone Grotio as-
sertum lib. 1. de jur. Bell. & P. c. 3. §. 19. & 20. n. 6.
respicere, ipsa verba eius luculenter indicant. In-
eppe itaque dicta descriptio applicatur ad statum
regium, vel aristocraticum, neque etiam locum
habet in Germania ubi leges universales a Rege &
Proceribus, exclusa plebe, particulares autem a
dominis territorialibus, Ordinibus provincialibus
alicubi in consilium, non in ipsum jus leges conden-
di, adscitis, feruntur. Ut proinde jam memora-
tae descriptionis non aliis usus superfit, quam
quod ad meliorem intellectum & explicationem
juris romani facit.

§. XXII.

Plebiscitum est, quod plebs, plebeio magi-
stratu interrogante, veluti tribuno, constituebat
d. §. 4. *Inst.* Plebiscitum itaque a lege differt causa
efficiente. Haec enim siebat ab universo populo

D 3 romana-



romano, quo tum patres, tum equites & plebs
continebantur. Illud autem a sola plebe, exclusis
patribus & equitibus, condebatur. Non vero lex
& plebiscitum, effectu spectato, differunt. Ut
enim illa, ita hoc non minus, universus populus
romanus obligabatur. Id quod tribus potissimum
legibus effectum est. Cum enim creatis anno
Urbis conditae 260. Tribunis plebis, (autore Li-
vio *l. 2. c. 33.*) dubitaretur, an plebiscitis patres
& equites tenerentur, cautum est primo lege
Horatia, anno U. C. 306. vel ante Christum na-
tum 446. ut quod tributum plebs jussisset, popu-
lum teneret, referente Livio *l. 3. c. 55.* quod dein-
de repetitum confirmatumve est lege Publiliana
anno U. C. 406. qui est ante adventum Christi
336. eodem Livio memorante *l. 8. c. 12.* quod
idem postea factum lege Hortensia anno Urbis
446. ut appetet ex supplementis Livianis Freins-
hemii *l. 11. c. 27. edit. Clerici.* quibus jungatur A.
Gellius *lib. 15. noct. Attic. c. 27. & d. §. 4. Instit.*
quae causa est, quam ob rem non minus plebis,
quam universi populi Romani scita generali le-
gis vocabulo aliquando insignirentur, prout idem
A. Gellius refert, *l. 10. noct. Attic. c. 20.* & praeterea
Aquilia & Falcidia leges, plebiscita quippe,

satis

satis abundeque testatum faciunt. Ad Germaniam quod attinet, idem est usus plebiscitorum, qui legis supra descriptae. Scilicet facit quidem plebiscitorum Romanorum notitia, ad intelligendum & interpretandum Jus Quiritum, sed apud nos plebiscita fieri qui statueret, merito risu excipiens foret, sive leges Germanorum universales, sive particulares spectentur, cum neque hae neque istae a plebe, exclusis Proceribus, fiant. Neque etiam cum plebiscitis Romanorum leges Civitatum liberarum comparare licet. Praeterquam enim quod plebiscita Romanorum instar legum universalium valebant, leges municipiorum autem particulares tantum sunt; certum est, leges Civitatum liberarum, quae forma aristocratica gaudent, exclusa plebe, a solis Senatoribus ferri, adeoque nil minus quam plebiscita esse; quod itidem de legibus earum Civitatum imperialis, quae populares sunt dicendum esse existimo. Quamvis enim in regimine eiusmodi plebs cum Senatoribus legum condendarum causa coit, hae tamen non a sola plebe exclusis Senatoribus, sed ab utrisque coniunctim sanciuntur.

§. XXIII.

Senatusconsultum est; quod. Senatus jubet
atque

atque constituit, §. 5. *Inst. de jur. nat. Gent. & civ.*
Convenit cum lege & plebiscito, effectu spectato,
ut enim lex & plebiscitum universum populum
tenebat, ita Senatusconsultis quoque non tantum
patres & equites, verum plebs quoque obligabantur.
Sed si causae efficientis rationem habeas Se-
natusconsulta tum a legibus, tum a plebiscitis dis-
ferunt, quandoquidem haec a sola plebe, istae ab
universo populo Romano, illa ab Imperatore &
Senatu, semota plebe, condebantur. Ad origi-
nem Senatusconsultorum quod attinet, in Re-
publica Romanorum libera subinde Senatusconsulta
effecta esse, apud Ciceronem: aliosque Icripto-
res romanos passim legimus; sed ea vim constitu-
tionum personalium & decretorum temporario-
rum tantum habuisse, viri eruditissimi pridem
probatum dederunt, siquidem tum temporis Se-
natus potestate leges ferendi destituebatur. Postea
vero quam ambitione Tiberii Caesaris Comitia,
quae antehac quotannis legum ferendarum &
magistratum creandorum causa potissimum ha-
bebantur, e campo Martio in Senatum tracta
sunt, uti refert Tacitus *lib. 1. Annal. c. 15.* Sena-
tusconsulta ab Imperatore & Senatu, exclusa ple-
be; fieri coeperunt, quae vim legis universalis ha-
berent.

berent. Quod ergo Imperator Justinianus dicit,
aequum visum esse, Senatum vice populi consuli,
ex quo populus Romanus in eum modum auctus,
ut difficile esset in unum eum convocari, causa Se-
natusconsultorum justifica tantum, & praetextus,
uti dicere solemus, est, placandae plebis ergo ad-
inventus. Nam causa suatoria non alia erat, quam
ambitio Caesarum, cui plebis autoritas, antehac
plurimum valens, contraria videbatur. vid. Illustris
Thomas. l. 1. naev. jurispr. Rom. Antejust. cap. 9.
naev. 7. & in delin. bish. jur. Rom. scđt. 2. & ibi
Hoffmann. in addit. item Illustr. Bechmer. in no-
tis ad c. §. 5. Inst. & Arnold. Vinnius in com-
ment. ibid.

§. XXIV.

Quātum ad usum Senatusconsultorum
hodiernum, certum equidem est, ea a Germanis,
ut alias juris romani partes, corpore ejus com-
prehendas, ab aliquot seculis recepta esse. Quare
Senatusconsulta Romana, juri Justinianeo innexa,
neminem qui inter juris peritos nomen profitetur
suum, ignorare oportet. At vero hodie a Ger-
manis leges fieri Senatusconsultis Quiritum similes
ab iis tantum asseritur, qui prudentiae civilis ex-
pertes, nil nisi quod romanum & peregrinum in

E ore

ore habent. Explodendum itaque, quod ait Hoppe, statuta civitatum municipalium, quibus leges ferendi potestas data Senatusconsultis Romanis aequiparanda esse, *in usu bod. ad d. §. 5. Inst. de Jur. nat. Gent. & civ.* Neque enim ut Senatusconsulta Romana valerent, Senatus autoritas sufficiebat, sed insuper Caesaris voluntas necessaria erat. Deinde Senatusconsultata Quiritum instar legum universalium erant, non particularium. At longe aliter se habet ratio statutorum municipalium, cum & particularia sint, nec Imperatore autore fiant. Sed nec leges Imperii Germanici, quae ab Imperatore & Proceribus in Comitiis sanciuntur, commode Senatusconsultorum nomine insigniri, illustris Thomasius notat, *in not. ad ff. Tit. de Legib. p. m. 10.*

§. XXV.

Sequuntur constitutiones Principum, quae a seculo secundo potissimum originem ducunt. Cum enim seculo primo Imperatoria autoritas adeo stabilita & firmata esset, ut non amplius opus videretur, Senatum populi vice, consuli, ubi lex ferenda erat, Caesares aperte, & sine ulla dissimulatione regiae potestatis, ius legum ferendarum exclu-

§ (35) 56

excluso Senatu, sibi solis arrogarunt. Et sicuti leges ab universo populo fieri desierunt, ex quo Senatusconsulta a Senatoribus, Caesare praeeunte, condi cœperunt, ita Senatusconsulta quoque rarius, quam antea, facta sunt, & pedetentim evanuerunt, postquam quod Principi placuit legis vigorem adeptum est §. 6. *Institut. de Jur. nat. Gent. & civ.* Imo crediderim, ne seculo primo quidem Senatum legislatoriae potestatis juxta cum Caesare participem fuisse. Quamvis enim Patres a Caesare consularentur, ubi lex nova necessaria videbatur; tamen Senatoribus nihil praeter inane nomen relictum erat, cum omnia ex nutu Caesaris gererentur, nec ei Senatus facile se opponere auderet. Hinc est, quod Tacitus de Octavio Augusto refert, eum munia Senatus, Magistratum legumque ad se traxisse nemine adversante,
I. i. Annal. c. 2.

§. XXVI.

Vocantur Principum placita constitutiones, non leges, ideo quod illae solum Imperatorem auctorem haberent, hae vero in Republica Romanorum libera ab universo populo Romano fierent. Sed effectu ipso spectato, & legis voce generatim accepta, Principis constitutio, non mi-

nus, quam jussus generalis populi, legis nomine
insigniri potest. Et ne ignores, unde Imperato-
res jus legum condendarum naeti sint, Imperator
Justinianus addit *d. §. 6.* Principibus Romanis su-
premam eamque liberam potestatem a populo
datam esse, per legem Regiam nimurum, qua
ipsum potius pactum populi cum Imperatore de-
summo imperio, quam lex semel lata innui vide-
tur. Nam imperium Romanum Caesaribus non
successionis, sed electionis jure delatum esse, do-
cet Illustr. Henricus de Cocceji *c. 7. jur. publ.*
§. 13. & 17. Unde legem regiam finiri, & novam
fieri necesse erat, quoties Imperatore mortuo, vel
deposito, vel imperio se abdicante novus elige-
batur, quod hodieque Imperatore mutato acci-
dit. Nec aliam Justiniani mentem esse autumo,
cum non de solo Octavio Augusto, sed de quolibet
Caesare loquatur, legis regiae mentionem fa-
ciens *c. §. 6. add. Excell. Langgut, in animadu. ad*
Illustr. de Cocceji prud. jurispubl. c. 7. §. 12.

§. XXVII.

Dividuntur constitutiones Principum in ge-
nerales & personales. Illis tenetur universus po-
pulus, hae ad certam personam vel rem, restrictae
sunt. Porro constitut onu *gener. I* una tres spe-
cies

cles sunt. Nam legem generalem esse constat; quodcunque Imperator vel per epistolam constituit, vel cognoscens decrevit, vel edicto praecipit, *d. S. 6. Inst. de Jur. nat. Gent. & civ.*

§. XXIX.

Ad Epistolam quod attinet, ea subinde rescripti quoque nomine venit. Est autem rescriptum vel gratiae, quod magis ad personales, quam generales constitutiones pertinet, vel iustitiae, quod proprie hujus loci est. Quod enim in causis iustitiae, dubiis maxime, Imperator vel a judice inferiore, vel a privato quodam cive consultus, respondebat, id in similibus quoque causis futuris pro lege servandum erat. Quod tamen non aequum est, cum hujus & illius diversissima sit conditio. Nam Imperator antiquus leges pro libitu ferre valebat, neque ut ei vel Proceres, vel populus assentiretur, necesse erat. Quemadmodum ergo edita ejus legis vigore gaudebant; ita relictis quoque ab eodem factis eadem efficacia tribui poterat. At in Germania jus legum ferendarum, abrogandarum & interpretandarum, non Imperatoris Augusti proprium est, sed ei cum Proceribus omnime. *Pacif. Osnabr. Art. 8. §. Gaudet &*

E 3

qua-

quare rescriptis Imperatoris hodierni vis legis adscribi nequit, quemadmodum edicta ejus quoque tali vi destituuntur, quanquam caeteroquin magnam rescriptorum Imperatoriorum autoritatem esse negare nolim. Unde etiam facile intelligitur, quae vis Dominorum territorialium in Germania rescriptis addicenda sit. Nam talia rescripta vim legis habent, ubi edicta Domini territorialis sine Ordinum provincialium assensu consilioe valent, destituuntur vero tali efficacia, ubi ad edicta territorialia Ordinum provincialium consensus consiliumve ex pacto, vel consuetudine requiritur. Consentit. Illustr. de Berger. l. 1. Oeon. jur. Tit. 1. §. 23. n. 4. Praeterea quantum ad rescripta Dominorum territorialium, notandum est, differre quae inscriptione & subscriptione ipsius Domini munita sunt, ab iis quae Regiminis auxili nomen praese ferunt. Cum enim Regimen aulicum jurisdictione tantum gaudeat, legislatione Domino territoriali relicta, illius rescripta vim legis provincialis sortiri nequeunt, etsi hic remotis Proceribus provincialibus, constitutiones provinciales promulgare valeat.

§. XXIX.

Decretum est sententia, sive interlocutoria,
sive

§ (39) §

sive definitiva, sive mixta, ab ipso Principe cāusam controversam cognoscente & judicante, lata, quae quod in similibus causis futuris pro lege custodienda est, non immerito ad secundam constitutionis generalis speciem refertur, d. §. 6. cuius celebre exemplum est in *l. 3. ff. de bis quae in testam. del.* Caeterum hic eadem, quae antea de usū hodierno rescriptorum dicta sunt, repeti velim. Praeterquam enim quod hodie Principes rarij, quam olim, auditis partibus, causas forenses cognoscunt, & sententias pronunciant; non aeque nostri, ut antiqui, Imperatoris decreta vim juris universalis habent, & quod ad Dominos territoriales attinet, decretorum, quae a Regimini bus aulicis, Curiisve provincialibus, pronunciantur, & eorum, quae ab ipso Domino territoriali proveniunt, disparem efficaciam esse, nemo facile inficias ibit. Nam Regimina aulica, nec non Curiae provinciales potestate leges ferendi carent, quapropter nec decretis eorum vis legis inesse potest; neque etiam decreta, ab ipso Domino territoriali proficiscentia, legi provinciali aequipollent, ubi ipsa legislatio ad Ordinum territorialium assensum consiliumve restricta est. add. Illustr. de Berger. c. 1. §. 24.

§. XXX.

Tertia constitutionis generalis species est Edictum, quod est jussum generale Principis, non ad consultationem judicis inferioris, vel privati alicuius hominis ut rescriptum, neque etiam sicuti decretum, ad causam ab ipso Principe, auditis partibus, cognitam, directum, sed ex proprio Principis motu descendens. Pertinent huc leges Codicis, ad Praefectos praetorio missae, nec non novellae Justiniani Constitutiones ut & leges tum universales, tum particulares in Germania, quarum illae ab Imperatore Augusto, assentientibus regni Proceribus, hae a Dominis territorialibus, vel cum consensu, vel cum consilio tantum, vel sine consensu consiliove Statuum provincialium feruntur. Caeterum quaeritur, an leges provinciales, Recessibus Imperii contrariae, valeant? affirmat Illustr. Thomasius in *Disput. de Statuum potest. legislatoria contra jus commune*; e contrario negant Myler ab Ehrenbach, de *Princip. Et Stat. Imp. p. 2. c. 39. §. 5.* Ziegler, *de jur. majest. l. 1. c. 5. §. 19.* Kulpis, *dissert. acad. 5. de unit. Reip. in S. R. Imp. c. 2. §. 14.* Illustr. de Berger in *resol. Lauterb. l. 1. tit. 4. quaest. 5.* Excell. Dn. Langgut in *animad. ad prud. jur. publ. Coccej. c. 23.*

§. 4.

§. 4. (41) 50

§. 4. quorum sententiam defendere quam oppu-
gnare malo. Primo enim singulorum fere Reces-
suum Imperii prologi testantur, eorum observa-
tionem civibus immediatis non tantum, verum
mediatis quoque injungi, deinde Reipublicae Ger-
manicae permultum interest, juris conformitatem,
quantum fieri potest, servari; nec quisquam, pru-
dentiae civilis peritus, facile negabit, in singulis
Germaniae Provinciis majus esse jus Regis re-
gnique, quam ipsorum Dominorum territoria-
lium, utilitate publica exigente. Unde etiam ad
alteram quaestionem an scilicet lex aliqua provin-
cialis prior per posteriorem sanctionem Imperia-
lem contrariam, eamque expressam, invito legis-
latore territoriali, abrogari possit? facilis est re-
sponsio, affirmans scilicet. Dico *eamque expres-
sam*, ut innuam, abrogatione expresa deficiente,
legem provincialem antiquorem contrariam sal-
vam manere ob cap. 1. de constit. in 610. Dissentit
Illustr. de Berger, d. l.

§. XXXI.

Pergo ad constitutiones personales, quae
non de universis civibus, ut constitutiones gene-
rales, sed de singulis concipiuntur, nec ad exem-
plum trahuntur, quoniam non hoc Princeps vult
et quis

F

d. §. 6.

d. §. 6. Inst. de Jur. nat. Gent. & civ. qua de causa constitutiones personales veteribus privilegia, dictae sunt, siquidem prisca lingua priva appellata sunt, quae hodie singula dicimus, teste A. Gellio, *l. 10. noct. attic. c. 20.* utque generalis, ita personalis non minus constitutionis tres species sunt, quanquam paucissimis juris interpretibus cognitae, observatae, cum tamen a Justiniano Imperatore satis perspicue exhibeantur *d. §. 6. Inst. de Jur. nat. Gent. & civ.* Nam quod (Princeps) 1) alicui ob meritum indulxit; (quod nova, non antiqua, de qua jam jami dictum, significatione, privilegium audit) vel si 2) quam pœnam irrogavit; vel si 3) cui sine exemplo subvenit (dispensando) personam non transgreditur, *ibid.* De singularis seorsim videamus.

§. XXXII.

Privilegium est vel reale, quod ad rem extenditur, & tanquam qualitas realis ad quemvis ejus possessorem, sive universalem sive singularem, transit; vel personale, quod ad personam restrinquitur, & cum ea extinguitur, nec ad haeredem transit *l. 3. §. 1. ff. de Censibus.* Errat itaque cum Lauterbachio aliisque Schütz, commodum privilegii personalis ex speciali juris dispositione ad alios

alios extendi autumans, comp. jur. tit. de const.
Princ. nec sententiam suam per leges ibi allegatas
 probat, quippe quae non de privilegio personali,
 sed de jure singulari de quo infra agetur, acci-
 piendae sunt. Amplius a privilegii realis natura
 aberrat, quod cum Lauterbachio dicit Schütz
 quadrimestre spatiū, rebus judicatis datum, ad
 privilegium reale pertinere, cum potius ad jus
 commune referendum sit. Praeterea displicet
 Schützius cum errorem vulgarem fecutus, privi-
 legium in odiosum & favorable partitur, privile-
 gium pro prima constitutionis personalis specie
 sumptum, cum constitutione personali universim
 accepta, nec non cum jure singulari miscens. Nam
 privilegium quodcunque favorable esse, nullum
 odiosum, clare indicat Justinianus Imperator *d.*
 §. 6. verbis: *Ob meritum indulxit.* Quaedam vero
 constitutionum species favorabiles sunt, ut privi-
 legium stricte acceptum, & dispensatio, quaedam
 odiosae, ut pœnae irrogatio; quemadmodum
 porro jus singulare aliquando favorem, seu com-
 modum, aliquando odium continet.

§. XXXIII.

Utrum vero privilegium aliquod pro perso-
 nali, an reali habendum sit, ex verbis ejus dijudi-

F 2

can-

candum est, quae cum paulo obscuriora sunt, privilegium magis personale quam reale censeri debet, quia cum dubitatur quid actum sit, id, quod minimum sequendum est. l. 34. ff. de R. I. Nec obstat quod dicitur, beneficia Principis latissime interpretanda esse l. 3. ff. de *Constit. Princip.* Recte enim respondet wissenbach, id de privatis Principum liberalitatibus, nequaquam autem publicis, qualia privilegia sunt, intelligendum esse, *disput. ad ff. 4. §. 19.* Cadit itaque quod habet Schützius, in dubio privilegium reale censeri, si causa impulsiva est res, personale vero, si est persona, d. l. Nam causa impulsiva privilegii numquam est res sed semper persona, vel meritum ejus. Id quod clare innuit Justinianus Imperator verbis supra exscriptis: *ob meritum indulxit* ut quod non in rem, sed in personam potius cadit.

§. XXXIV.

Privilegia concedunt, qui potestate leges rendi gaudent. Cum enim per privilegium quodlibet juri communi derogetur, nec quisquam facile adeo stolidus sit, ut per privilegium a Principe impetraret, quod jure communi permisum est, jus privilegia dandi nemini addici potest, qui potestate legislatoria destituitur. Ejus enim est legem tolle-

tollere, vel universim, per abrogationem, vel particulatim per dispensationem & privilegium, qui potest & ferre. Possunt ergo in Germania privilegia dare Domini territoriales, utpote jure leges condendi instructi, non vero possunt privilegia indulgere Regimina eorum aulica aut Curiae provinciales, quia legislatoria potestate carent, & jurisdictione duntaxat gaudent. Quare nec Nobiles mediati privilegia concedere possunt, etiam si jurisdictionem civilem & criminalem habeant. Sed an Imperatori Augusto privilegia dare liceat? quaeritur. Negandum hoc videtur, ideo quod Imperator solus nec leges ferre possit. At vero eum nihilominus privilegia, in toto Imperio valentia concedere, usus quotidianis nos edocet, & praeterea probat Schweder. *in introd. in juspubl. part. spec. sect. 1. c. 10. §. 4. & 5.* Ratio est, quod privilegiorum concessio minoris momentires est, quam legislatio, & Imperator negotia quaevis, quae ad ipsum Regni statum publicum periculumque vel parum, vel nihil, spectant, & in quibus adeo conventu publico opus non est, sine Proceribus expedire valeat, generatim docente illustr. Henr. de Cocceji *c. 24. prud. juspubl. §. 3.*

Quemadmodum vero privilegia ab initio nulla irritaque sunt, quae vel nullo accipientis merito data sunt, vel utilitati publicae insigniter adversantur; ita etiam privilegia ab initio valida tolli debent, cum statu mutato, utilitati communis noxia esse incipiunt. Nam utilitas publica privatae praevalere, expediti juris est, & salus communis Principi suprema lex esto, adversus quam quae sunt, merito pro nullis habentur, vel saltim revocanda sunt, dum Princeps hactenus contra officium facit, & agendi facultate destituitur, qua deficiente actus subsecutus nullus & vitiosus est. Nec ego privilegia gratuita, ab iis, quae vulgo onerosa dicuntur, distinguo, quamvis ita cum Lauterbachio distinguat Schützius *c. l. p. m. II.* Nam privilegium nullum est, nisi ob meritum detur, neque plus valere potest, quod pretio dato comparatur; neque etiam quod ex mera gratia, ob meritum tamen, concessum est, magis, quam quod pecunia redimitur, revocari potest, nisi publica utilitas id exigat, quamvis hic etiam Schützium aliosque dissentientes habeam, secundum quae vulgaris distinctio privilegii onerosi & gratuitii omnino vana & inutilis est. Sed quid si pri-

privilegium datum sit auf Wiederruffen / Wohl-
gefallen? Sunt quis id morte concedentis extin-
gui ajunt; sed rectius hoc negat Schilter. *Exercit.*
ad ff. 1. §. 30. & 31. ut consequenter successoris
confirmatio supervacua sit. Sed nec finita per-
sonarum qualitate, propter quam indultum est,
privilegium desinit. Dissentit equidem Schützius,
c. l. sed jus singulare cum privilegio perpetuo con-
fundit, qui vulgaris error est. De solo enim jure
singulari dici potest, quod, mutata personarum
qualitate, ob quam idem iuste concessum, ex-
spicit.

§. XXXVI.

Secunda constitutionis personalis species est irro-
gatio poenae sed cuius? non ordinariæ, quia hanc ju-
dex inferior quoque imponere potest; neque etiam
ordinaria mitioris. Aut enim poena per legem sta-
tuta, mitigatur ex gratia Principis, aut ob delicti cir-
cumstantias. Prior mitigatio ad tertiam constitutio-
nis speciem, quae dispensatio dicitur, pertinet,
posterior autem ideo ad constitutionem persona-
lem referri nequit, quod judicis inferioris officio
quoque continetur. Supereft ergo, ut dicamus,
per secundam constitutionis personalis speciem in-
nui irrogationem poenae ordinaria gravioris, a
Prin-

Principe praeter meritum impositae quae proinde in aliis delictis similibus a judice inferiore ad exemplum trahi nequit. Atque haec eadem Arnoldi Vinnii quoque sententia est, *in not. ad d. §. 6.* Sed si dicendum quod res est, secunda constitutionis personalis species damnanda est potius, quam approbanda, injustitiae nempe plena, & odio personali locum faciens. Neque enim quisquam a Principe magis, quam a judice inferiore, ultra metitum puniri potest. Et quanquam crescentibus delictis poenas quoque crescere non iniquum sit, tamen legem novam & universalem, qua poena augeatur, necessariam esse, nec prius supplicium ordinario gravius in singulos reos statui posse, JCti sapientiores facile concedunt. Plane poenae ordinaria majoris irrogationem jam a Decemviris in Republica Romanorum libera damnatam esse, lex duodecim Tabularum testatum facit, qua cautum est, ne privilegia irrogen-
tur. Hac enim poenae ordinaria gravioris irrogationem interdictam esse, praedclare docet Rittershusius *in comment. in XII. Tabul. leges classe 2. c. 2.* Sed quod addit idem plus licere Principi in Monarchia, quam populo in Democracy, in poenis infligendis, mihi quidem non displicere non potest,

potest, cum jus poenas exigendi utrobique par sit,
& Princeps cum ministris suis non minus, quam
populus, odio reorum personali aliquando exagi-
tetur.

§. XXXVII.

Supereft tertia constitutionis personalis spe-
cies, quam supra aliquoties dispensationem dixi,
quaque poena delicto imposta vel mitigatur, vel
proflus remittitur. Convenit dispensatio cum
privilegio, quatenus illa non minus, quam hoc,
ob meritum personae, a Principe commodum
confertur. Dico: ob meritum quia dispensationes
promiscue cum officio Principis pugnant, monen-
te Pufendorffio 1. 2. de offic. hom. & civ. c. 13. §. 15.
sed discrepat dispensatio a privilegio, quatenus
hoc accipiens ditior redditur, & commoditatem,
vel utilitatem aliquam consequitur, qua ante-
hac caruit; illa autem malum aliquod, seu poena,
vel proflus autetur, vel mitigatur, & tempera-
tur. Dispensat & delicti gratiam facit, qui leges
ferre potest, siquidem ejus est legem tollere, vel
universim per abrogationem, vel particulatum per
dispensationem, & privilegii concessionem, qui
potest & condere, uti docet Hugo Grotius,
libro singulari de aequit. indulg. & facilit. c. 2. n. 10.

G

Non

Non potest ergo dispensare seu lege aliquem solvere nobilis mediatus, jurisdictione civili vel criminali praeditus, quia potestate legislatoria destituitur. Nec inter poenam civilem & criminalem distinguo, cum utrobique par ratio sit. Sed usu Germaniae obtinuit, ut nobiles mediati, jurisdictione patrimoniali gaudentes, poenam civilem, vel totam vel partem ejus, remittere possint, quod tamen ad peenas criminales graviorum delictorum praeferunt, proferre nolim. Nam Reipublicae interest, ne delicta maneant impunita. Dispensatio ergo non a nobili ejusmodi, sed a Domino territoriali impetranda est, sicuti de poena capitali diserte cautum *in ordinat. judic. Saxo Gothana, parte 3. c. 8.* Nam Dominis territorialibus in Germania jus dispensandi competere apud omnes in confessio est. Sed an Imperator cum eis haec tenus concurrentem potestatem habeat? disquiritur. In affirmantem sententiam proclivis videtur Excell. Dr. Langgut *animad. v. 3. ad §. 8. c. 23. prud. jur. publ. Cocceji.* nec contraria opinio ex legibus regni, quas vulgo fundamentales appellant, facile defendi potest. Praeterea idem hoc etiam recte monet, dispensationem in causis criminalibus tantum Principi permisam esse, nec ad causas civiles protendi debere *ibid. animad.*

animad. 2. Nec obstat quod Divus Adrianus etiam majori viginti quinque annis veniam dedit, cum post aditam haereditatem grande aes alienum, quod aditae haereditatis tempore latebat, emersisset §. 5. *Instit. de haered. qualit. & differ.* cum hac ratione creditoribus haereditariis injuriam illatam esse, nemo aequus rerum arbiter facile inficias iverit.

§. XXXIX.

A constitutione personali differt jus singulare, ut jam notatum a Rittershusio *d. l.* Illa enim cives singulos, seu individua, hoc quaedam collegia, aut cives certa conditione & statu gaudentes, respicit. Praeterea jus singulare a privilegio seu prima constitutionis personalis specie, discrepat, quod hoc semper commodum, vel favorem continet, illud autem aliquando commodum, aliquando incommodum complectitur. Ad posteriorem speciem juris singularis refero, quod dicitur, feminas ab omnibus officiis civilibus vel publicis remotas esse, & ideo nec judices esse posse, nec Magistratum gerere, nec postulare, nec pro alio intervenire, nec procuratores existere, *l. 2. ff. de R. I.* quo etiam referendum est, cum militi praediorum conductio interdicitur *l. 31. C. loc. cond.* & id genus alia. Ad priorem juris singularis

laris speciem pertinet, quod ex constitutione Gordiani Caesaris, miles ultra vires haereditatis non teneatur d. §. 5. Inst. de haered. qualit. & differ. item jus praelationis in concursu creditorum, tacita hypotheca collegiorum ecclesiasticorum, quae vulgo loca pia audiunt, beneficium competentiae, privilegium fori, dotis, pupilli, minorum, restitutionis, SCtum Vallejanum, SCtum Macedonianum, nec non Nobilium, Doctorum & Studiosorum prerogativa, aliaque sexcenta, quae proinde perperam ad privilegia proprie dicta, ab aliis, & tantum non omnibus, referuntur, quamquam jus singulare aliquando voce privilegii late accepti nempe, denotari, ultro fatear.

§. XXXIX.

Sed concordat tamen jus singulare cum constitutione personali, quod illud non magis quam haec, ad causas vel personas similes trahi potest, etiamsi eadem vel major ratio adsit, quia non hoc Princeps vult. l. 14. 15. & 16. ff. de legib. l. 68. l. 141. l. 196. de R. I. Speciatim vero jus singulare cum privilegio stricte dicto, convenit, quod aliquando ad haeredes transeat, aliquando cum accipientis persona extinguitur. Ita v.c. hypotheca tacita, SCtum Macedonianum, l. 7. §. 10. ff. ad SCtum

SCtum Maced. Vellejanum, l. 20. C. ad *SCtum Vellej.* beneficium restitutionis in integrum l. 6. ff. de in integr. restit. haeredibus quoque prodest, secus ac beneficium competentiae, quippe quod haeredi denegatur, l. 4. §. 3. ff. quod cum eo qui in aliena potest. & l. 12. & 13. ff. solut. matr. l. 24. §. 1. & l. 25. ff. de re judic. Imo jus singulare aliquando uxori quoque accommodatur, ut immunitas Clericorum, l. 21. §. ult. C. de Episc. & Cler. nec non Professorum & Medicorum, l. 6. C. de Profess. & Medic. quin etiam aliquando ad famulos protenditur, veluti immunitas Clericorum, d. l. 6. nec non personarum ad judicium Camerale spectantium, R. I. de anno 1654. §. 141. ut & privilegium fori, notante Schiltero, l. 1. Instit. jur. can. Tit. 18. §. 9. quo etiam pertinet, quod securitas specialis studiosis data, ad nuncios eortim extenditur, autb. habita &c. C. ne fil. pro patre. Et de hoc jure singulari, quod aliquando haeredibus aliisque competit, aliquando denegatur, accipienda est l. 68. & 196. ff. de R. I. quamvis non nesciam, dictam legem utramque vulgo ad privilegium personale & reale, quod ad primam constitutionis personalis speciem supra retuli, trahi, comp. Lauterb. d. l. Nec obstat vox privilegii in

d. l. 196. item beneficii in c. l. 68. ff. de R. I. cum non abnuam, sed ultiro fatear, & jam supra ex parte fassus sim, jus singulare quandoque vel privilegii vel beneficii nomine denotari. Sed quo referemus regulam vulgarem: *privilegiatus contra aequum privilegiatum privilegio suo non utitur*, ad privilegiumne stricte sumptum, an ad jus singulare, an vero ad utrumque? Evidem vulgo dicta regula ad privilegium preesse dictum restringitur *in comp. Lauterbach. d. l. p. m. 10. sub fin.* Sed, eam in jus singulare non minus, quam in privilegium pro prima constitutionis personalis specie acceptum quadrare, verius videtur. Probant hoc ipsae leges, unde jam memoratae regulae exempla petuntur, *in comp. Lauterbach. d. l.* Neque enim de privilegio, prima constitutionis personalis specie loquuntur, sed potius de jure singulari, certum hominis statum respiciente, agunt,

§. XL.

Amplius ad jus singulare pertinet, cum dicatur, privilegium extingui finita personarum qualitate propter quam indulsum est, quod proinde perperam ad privilegium, pro prima constitutionis personalis specie acceptum refertur, *in comp. Lauterbach. d. l. p. m. 11.* Nam privilegium ejusmodi

55 56

modi, caeteris paribus, sublistit, et si meritum,
ob quod indulatum, finiatur. Extinguitur autem
jus singulare filiifamilias & minoris, quam pri-
mum is sui juris, aut hic major factus est, &
sic in caeteris juris singularis exemplis.

§. XLI.

Quinta juris civilis scripti species, vel pars
sunt Responsa prudentum §. 8. *Inst. de jur. nat.*
Gent. & civ. & l. 2. §. 47. ff. de orig. jur. Sed gra-
viter obstat interpretationem & autoritatem pru-
dentum ad jus non scriptum referri *eadem l. 2.*
§. 5. Quae objectio ut removeatur, notandum
est, responsa prudentum duplices esse generis, alia
scilicet in Republica Romanorum libera, alia sub
Imperatoribus. Illa a Jctis privata autoritate
dabantur, & vim juris demum consequebantur
ex quo usu forensi approbata esent; unde meri-
to juri non scripro accensentur. Haec vero auto-
rate Caesaris publica nitebantur, indeque vim ju-
ris scripti habebant, adeo, ut judex in sententia
ferenda ea stricte sequi teneretur, ante etiam,
quam usu fori reciperentur. Atque hoc est
quod ex Pomponio refertur, ante tempora Au-
gusti, publice respondendi jus non a Principibus
datum

datum esse; sed qui fiduciam studiorum suorum habebant, consulentibus respondisse, neque responsa utique signata dedisse, sed plerumque judici ipsi scripsisse; postea vero primum Divum Augustum, ut major juris autoritas haberetur, constituisse, ut ex autoritate ejus respondeant d. l. z. §. 47. ff. de orig. jur.

§. XLII.

Ad usum hodiernum quod attinet, fateor quidem, responsa prudentum, usu fori recepta, vi juris non scripti gaudere, sed ea praeterea ad jus civile scriptum referri posse, nego & pernego. Aut enim pro informatione, vel judicis, vel alterius litigatoris, aut pro sententia dantur. Illa juris autoritate in aliis causis similibus destitui, neque etiam inter partes jus facere, sole meridiano clarius est. Haec respiciunt causas vel criminales, vel civiles, quibus etiam feudales, itemque ecclesiasticas haec tenus complector. Ad causas criminales quod attinet, responsa prudentum ut plurimum consilii & informationis vim tantum habent, dum judici criminali ab eis impune recedere & vel aliam sententiam ferre, vel alind respondum ab alio Collegio JCTorum petere licet,
ubi

ubi ipsi prius a jure & facti circumstantiis deflectere viuum fuerit, in processu criminali inquisitorio praesertim. Quantum ad causas civiles autem verum quidem est, responsa prudentum loco sententiae data, transmissis actis, jus inter partes facere, sed falsum, in aliis causis similibus judicem ea sequi oportere, nisi diuturno fori usu pro consuetudine recepta sint. Nam qui potestate legislatoria destituitur, ejus responsa vim juris universalis habere nequeunt. Atqui Jcti potestate legislatoria destituuntur. Ergo responsa eorum potestate legis universalis carere necesse est. Primam propositionem sine controversia veram esse reor. Secunda probatur inde quod Imperator Augustus Doctoribus juris potestatem legislatoriā dare nequeat, cum haec in Germania Imperatori Augusto non propria sit sed ei cum Proceribus communis; Proceres autem ut a jure creandi Doctores, ad solum quippe Caesarem spectante, excluduntur, ita eos cum Imperatore Doctoribus facultatem juris universalis condendi unquam dedisse, vel etiamnum dare, frustra dicitur. Neque etiam asseri potest, Doctores hanc facultatem a Legislatoribus territorialibus, sub quibus isti degunt, accipere, nisi evidenter & liquidis do-


H


cumen-

§ (58) §
cūmentis probetur, qualia unquam audita esse
mihi quidem incompertum esse lubenter fateor.

§. XLIII.

Exposito ita jure civili tum scripto, tum non scripto, restat, ut jus Praetorium & Aedilium exponatur. Sed cum hoc nec tempus, nec chartae angustia patiatur, & praeterea haec juris species jam a viris eruditissimis satis illustrata sit, ideo Lectores benevolos nunc quidem eo able-
legare & finem dissertationi im-
ponere cogor.





6078

Jena, Diss., 1723

ULB Halle
006 623 158

3





1723/16 a
18

DISSERTATIO JVRIDICA SOLENNIS
DE
FONTIBVS JVRIS
ROMANI EORVMQVE
VSV HODIERNO
QVAM
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO
GVILIELMO HENRICO
DVCE SAXONIÆ, JVLIACI, CLIVIÆ, MONTIVM, ANGARIÆ, WESTPHALIÆ ET RELIQVA
Ex Decreto Illustris Facultatis Juridicæ
IN ACADEMIA JENENSI
P R Ä S I D E
VIRO ILLVSTRI ATQVE EXCELLENTISSIMO
DOMINO
CHRISTIAN. WILDVOGELIO,
JCTO CONSVMMATISSIMO, SERENISSIMO DVCI-ISENACensi
A CONSILIIS INTIMIS, CVRIÆ PROVINCIALIS ASSESSORE,
COLLEGIORVM JVRIDICORVM SENIORE, VT ET ANTECESSORE IN ACADEMIA JENENSI GRAVISSIMO,
PATRONO OMNI PIETATIS CVLTV ÆTERNVM DEVENERANDO
Publicæ Eruditorum disquisitioni submittit
D. XIX. JVNII M DCC XXIII.
AVTOR RESPONDENS
CAROLVS MICHAEL STRASBERG,
HAMBVRGENSIS.

JENÆ, TYPIS JOH. ADOLPHI MULLERI.